



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Scriptvm Philippi ad Dominum Papam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

præsertim cum in ea de relaxatione pecuniæ sibi testamento legata nulla mentio habeatur. Datum Romæ,

*Scriptum est super hoc in eundem serè modum aliis Episcopis & magnatibus regni Angliæ, ut ipsum Regem ad hoc moneant & inducant, & ipsi etiam Regi Ottoni, sicut habent eam gratiam divinam & Domini Papa, ac regni sui diligunt commodum & honorem, studeant subvenire. Datum ut supra.*

**ILLUSTRI REGI OTTONI IN**  
*Romanorum Imperatorem electo.*

Epist. 133.

**V**enientem ad apostolicam sedem venerabilem fratrem nostrum Cameracensem Episcopum benigne recepimus, & ea quæ nobis proposuit notavimus diligenter. Licet autem idem Episcopus, cum ad te Domino duce redierit, non solum de proposito nostro, verum etiam de statu imperij te possit reddere certiore, ut tamen interim nullius astuta malignitas circumvenire te possit, serenitatem tuam præsentibus litteris præmunimus, reddentes te de gratia nostra plene securum, quam velut columnam immobilem semper invariabilem comprobasti. Quocirca prudentiam tuam, cuius fortitudinem & constantiam apud nos idem Episcopus multipliciter commendavit, moneamus & exhortamur attentius quatenus nec ad veritates te frangant, nec suggestiones seducant, quò minus ad sublimationem tuam prudenter intendas, ad quam nos intendimus diligenter, ut ad suscipiendam coronam imperij valeas feliciter pervenire. Datum Romæ &c.

**EBORACENSI ARCHIEPISCOPO.**

Epist. 134.

**S**i eximia facta progenitorum tuorum, quibus multimodæ laudis titulo renitebant, sedula meditatione discutias, si qualiter per insignia gesta suam dilataverint famam & regie domus ampliaverint decus subtiliter perscrutaberis, ad imitandum eos totis te convenit viribus laborare, ut per ostensionem operum sectator ipsorum merito comprobaberis. Nam arbor à fructu cognoscitur, & clarum heredem opera clara depingunt. Cum itaque carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto nepos tuus & aliorum consanguineorum suorum adminiculo ad præsens indigeat, miramur non modicum & movemur quòd ita tepidus & remissus hætenus extitisti quòd nullum vel modicum ei curasti subventionis vel favoris auxilium exhibere; cuius negotium si ad optatum perducatur effectum, quantum honoris & gloriæ tibi & carissimo in Christo filio nostro Iohanni Regi Anglorum illustri ac regno ejus accrescat, quantumque regalis regia super hoc facto debeat resorere, non est opus litteris explicare; cum, si prudenter attendas, ipsa rei evidentia mentis oculis protinus enitescat. Illud enim inter cetera deberet ad id inducere vehementer, quòd si præfato Regi in hujus temporis articulo adesse curaveris ac favorem tuum efficaciter impertiri, menti suæ inextricabiliter infigetur; quoniam in necessitate probatur amicus, & qui verè diligit, per experientiam operis comprobatur. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, moneamus attentius, &

per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus, sicut eam habes gratiam divinam & nostram, & proprium diligis commodum & honorem, præfato Regi nepoti tuo opem efficacem impendas, & de tuis non prætermittas tam hilariter quàm liberaliter subvenire; ut ejus honor in tuum cedat honorem, & ipse profectus in tuam possit gloriam redundare. Datum Romæ.

**BRUNONI ARCHIEPISCOPO,**  
*majori Decano & magistro H. Scholastico sancti Geronis, Colonienfis.*

Epist. 135.

**C**um inter cetera documenta fidei Christianæ nihil sit gloriosius quàm fidem illibatam servare, miramur admodum nec immerito commovemur quòd venerabilis frater noster Monasteriensis Episcopus, de cuius meritis virtutis exempla deberent ad alios derivari, juramentum quod præstitit carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quòd ei potenter & patenter deberet adesse, dissimulare videtur, nec considerat quòd si sal evanescit in ipso, ad nihilum valet ultra nisi ut foras mittatur & ab hominibus conculectur, & si caput sit languidum, subjecta membra salutis propriæ reddat robore destituta. Volentes igitur quod ab eodem Episcopo temerè præsumptum est in melius emendari, mandamus quatenus eundem Episcopum ut prætermittis quibuscumque obligationibus impietatis ad servandum juramentum præfato Regi exhibitum sollicitis monitis inducere studeatis. Quòd si ad commonitionem vestram idem Episcopus quod præmissum est adimplere forte noluerit, vos eum ad id per distractionem ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellatis. Datum ut supra.

*In eundem modum scriptum est eisdem iudicibus contra Osnaburgensem Episcopum.*

**SCRIPTVM PHILIPPI**  
*ad Dominum Papam.*

Epist. 136.

**S**criptum est & multiplice utriusque testamenti auctoritate posse probari credimus quoniam in manu mediatoris Dei & hominum sunt omnia potestates & jura regnorum. Ipse enim altissimus Dominus & Rex cæli & terræ, cui voluerit & quando voluerit dabit illud. Equidem ipse mutat regna, & transfert & curvat imperia. A plena notitia vestra, Pater sanctissime, minime credimus alienum quid factum sit Romano imperio divina permissione sic ab æterno provisum & præordinatum. Scit facis prudentia vestra qualiter post mortem dilecti Domini ac fratris nostri Henrici Romanorum Imperatoris Augusti turbatum fuerit imperium, & multisurbationum incursum non minus mirabiliter quàm miserabiliter lacerari cepit & agitari, & per omnes angulos & fines suos ita concuti ut à prudentibus non immerito desperari posset ipsum Romanum imperium diebus nostris in pristinum statum nunquam posse reformari, cum quilibet jam sine iudice viveret & sine lege, & quicquid libitum foret, faceret pro motu & arbitrio suæ voluntatis. Nos inter hæc malorum initia, ut vobis constat, in Tuscia fuimus constituti, ab inde reverentes in Alamanniam non sine periculo & labore; & tunc totam Theutoniæ minime bene dispositam reperimus & inordinatam. Qualiter demum, Pater reverende, nos animum concepimus ad obtinendum Romanum imperium per justam Principum electionem cum pura simplicitate & simplici veritate sub testimonio illius qui secretorum scrutator est, & cui omnia nuda sunt & aperta, vobis duximus significandum, nihil falsitatis admittentes, nec subrahentes aliquid veritati. Sciat igitur

igitur vestra reverenda paternitas quod cum nos de partibus Tullie reversi fuissetus in Alamanniam, totam terram non minus turbatam invenimus quam mare ab omnibus ventis posse conturbari. Tunc nos omnes imperij Principes, qui in diebus illis in Alamannia fuerant, (nam, ut scitis, quidam eorum transfreta verant) literis & nuntiis nostris sollicitate coepimus ut ipsi filio dilecti Domini ac fratris nostri Henrici Romanorum Imperatoris Augusti, quem jam eis in Dominum ac Regem elegerant, & cui juraverant fidelitatem, sicut ex juramento tenebantur, assisterent & ipsum vellent habere pro Rege; & nos, tum quia de jure naturali & legali ad hoc tenebamur, tum etiam pro conservando honore imperij, omni tutela subire volumus usque dum ipse puer ad eam perveniret aetatem quod ipse per se regere posset imperium & jura ejus requirere. ad quod nullum eorum potius potuimus inducere. Asserebant enim se ex electione illa quam in eum fecerant & ex praestito sibi sacramento non teneri. Nam asserebant antequam ipse puer fuisset baptisatus haec fuisse facta, & ideo nullus esse valoris. Dicebant ipsum puerum non sufficere ad regimen imperij, nec decere nec expedire ipsos Principes & Romanum imperium sine Domino fore & Imperatore. Insuper allegabant ipsum puerum esse electum maxime pro summa patris potentia, & ut per hoc patri placere possent. Et sic nullo modo eos ad hoc potuimus inducere ut ipsi jamdictum puerum pro Domino & Rege vellent habere. ad quod nos, Deo teste, omni studio & omni ingenio fideliter laboravimus. Ipsi vero Principes constanter aliam Regem sibi creare voluerunt, & diversi diversi. Quidam Principum, de quibus vobis constat, ut credimus, cum Duce Bertoldo Zaringia tractatum habere coeperunt ut ipsi cum in Regem eligerent, pro quo ipse cum eis plusquam sex millia marcarum expendit: qui cum post multam hanc expensam in negotio processum operatum habere non posset, ipse tanto labori & futuris expensis se subtrahens, ab incepto negotio conticuit. Tunc iidem Principes cum Duce Bernardo Saxonie consensimel coeperunt habere tractatum; & ipse de partibus Saxonie usque ad partes Rheni, videlicet Andernacum, venit sub hac spe quod ab eis eligi deberet in Regem. Sed cum ipse, sicut vir prudens & circumspectus, videret hoc non posse fieri sine pecunia sua maxima effusione, considerans etiam quod ipse depressus gravissima corporis sui gravitate tanto labori non sufficeret, se subtraxit ab eis ingeniose. Tunc quoque omnes Principes Saxonie, Bavariae, Austriae, Oliniae, Carinthiae, Civeniae, Franconiae, & multi alij magnates & nobiles nobis consulerunt ut nos laborare vellemus pro imperio; ad quod ipsi dicebant suum nobis velle praestare consilium & favorem. Nos tamen adhuc in tantum pro puero laboravimus quod a multis Principibus & fidelibus nostris ignominiose obiectum est non audere recipere imperij dignitatem. Dicebant etiam iidem Principes nullum alium Principem sufficere ad sustinenda onera imperij vel in divitiis condigne posse respondere imperij dignitati. Vidimus etiam quod si nos non reciperemus imperium, talis debebat eligi cujus generatio ex summa antiquitate nostram exolam habebat generationem, & cum quo nos nunquam pacem & concordiam habere possemus. His igitur omnibus inspectis & consideratis, animum ad hoc applicuimus ut nos per justam & concordem Principum electionem imperium obtineremus. Dicimus hoc quoque in fide Iesu Christi, in qua salvari cupimus, quod hoc non fecimus ob alienius honoris ambitionem, non ob fastum gloriae & potentiae, non ob aliquam rerum avaritiam. Pro his omnibus onus & laborem regiminis imperij nunquam affectavimus vel suscepimus. Indubitanter enim credere potestis, immo verè scire quod tunc inter omnes Principes imperij nullus nobis fuerit ditior, nullus potentior, nullus gloriosior. Habuimus enim amplissimas & diffusas possessiones, habuimus etiam castra plurima & fortissima & inexpugnabilia. Habuimus etiam tot ministeriales quod nos eos sub aliquo certo numero vix comprehendere potuimus. Habuimus castralla, civitates, villas, burgenses ditissimos. Habuimus pecuniam multam nimis in auro & argento & in multis gemmis pretiosis. Habuimus etiam in potestate nostra sanctam crucem, lanceam, coronam, indumenta imperialia, & omnia insignia imperij. Benedixerat quoque nobis Deus in multis bonis, & crescere fecerat & auxerat domum nostram. Hereditas etenim multa ceciderat nobis in praetatis; ideoque necesse nobis non fuit ut nos ambiciose labora-

remus pro imperio obtinendo. Nullus in Regem potuit eligi qui plus nostro non indigeret & voluntatio obsequio quam nos ejus gratia & benevolentia videremus indigere. Nulla igitur ambitione, sed pro causis supradictis, nos in Romanorum Regem eligi permittimus & consentimus in ea feria sexta qua canitur *Fac mecum Dominus signum in bonum*. Fecit quoque nobis Deus signum in bono. Multi enim nos viderunt & oderunt, & confunduntur. In ipso quoque exordio electionis inter hoc in firmo habuimus proposito ut nos principaliter defensores essemus Ecclesiarum & restauratores, & ut cultum Dei & religionem Christianam pro posse nostro semper ampliarem, & ut justitiam faceremus omnibus oppressis & injuriam patientibus, & ut dignis supplicio nunquam parceret oculis nostris, iuxta juris aequitatem & rigorem sub temperamento justitiae & misericordiae in omnibus negotiis nostris procedendo; sicut nos post ipsam electionem nostram per continuas decem septimanas sine contradictione fuimus in imperij quietia possessione. Medio quoque tempore cum maximo & gloriosissimo exercitu ad sedem Aquensem pro recipienda corona ire volentes, astitura & dolis adversariorum nostrorum circumventi, exercitum nostrum remisimus, accepto tamen prius ab eis sacramento quod etiam ipsi in nos vota sua deberent transfundere. Cumque nos ipsi sic decepsissent, recepta multa pecunia à Rege Angliae, qua magni viri saepe corrupti sunt, sanguinem nostrum Dominum Oddonem Comitem Picaviae elegerunt. Hac de processu electionis nostrae in fide veritatis, licet, ut putamus, multotiens vobis aliter suggestum sit, vera esse non dubitatis. Ceterum de Domino Luipoldo hoc scitote. Contigit statim post mortem Conradi Maguntini Archiepiscopi nos venisse Maguntiam & ejus interesse sepulturae. Et tunc concordia & unanimi electione clerici, accedentibus votis ministerialium & omnium eorum quorum intererat & assensu & mirabili clamore populi, ipse Luipoldus fuit electus, sic quod nobis praesentatus. Et quia nostrum non est discutere de Episcoporum electione, tantummodo ut ipsa sit concors & unanimes, de regalibus eum investivimus. Postmodum Dominus Siffridus apud Pinguam, ut verè putamus, à tribus vel ad plus à quatuor se permittit eligi. Sed cum nos à dilecto fideli nostro Vvaltero Patriarcha Aquilegeni & à latore praesentium venerabili Priore \* voluntatem vestram intelleximus, statim concepimus animum dimittendi Luipoldum ob honorem & reverentiam sanctitatis vestrae & ob dignitatem sacrosanctae Romanae Ecclesiae; quam nos recognoscimus: sicut matrem & dominam omnium Ecclesiarum, & quam nos semper revereri volumus & honorare sicut matrem nostram catholicam & apostolicam, & pro posse & viribus nostris eam semper defendere volumus & efficaciter sur intendere exaltationi. Ita quod quod e voluimus dimittere Luipoldum ut & vos inspecto honore imperij, ejus exaltationi & honori vos tenemini, plenitudine auctoritatis qua apud vos est Dominum Siffridum cessare faciatis, & nos tunc ad voluntatem vestram & pro hoc e vestro ipsum Dominum Siffridum in gratiam nostram recipiemus, quamvis in multis gravissimè ipse nos offenderit, & vel in curia nostra honorificè tenebimus eum, vel de bonis nostris honestos redditus sibi assignabimus quousque ne s provideamus ei in loco magnae & honestae dignitatis, accedente ad hoc auxilio vestro & apostolica auctoritate, quod, ut putamus, fieri posset in brevi. Ad haec, sicut petistis, pro reverentia vestra, & licet nobis non multum esset honorificum vel ex pediens, inter nos & Dominum Osdonem treugas libenter admittissemus, si praefati nuntij vestri usque ad eum pervenisse potuissent. Praeterea pro reformanda pace & concordia inter vos & nos, inter sacerdotium & imperium, quam nos semper desideravimus, subiciemus nos vestris Cardinalibus & nostris Principibus, qui tales sint qui, ut viri catholici, pacem & concordiam sine omni serupulo dolositate debeant affectare. Item si nos in aliquo vos vel sacrosanctam Romanam Ecclesiam offendisse videmur, nos ad satisfaciendum vobis supponimus nos vestris Cardinalibus & nostris Principibus, qui vobis & nobis & familiaribus sint, viri probati & perfecti. Si vero vos in aliquo nos vel imperium lassisse videmini, nos pro honore Domini nostri Iesu Christi, ejus vicem in terris geritis, & ob reverentiam beati Petri principis Apostolorum, ejus vicarius estis, & ob salutem nostram, conscientiae vestrae super iis vos relinquimus. Cum enim nos pie credamus & ante passionem & post passionem Dominum nostrum

\* Camaldulensi

Iesum Christum beato Petro Apostolo claves regni cœlorum contulisse & tradidisse jus ligandi atque solvendi, scimus & protestamur quod vos, qui in locum suum cum plenitudine potestatis successistis, in huiusmodi articulis ab homine non estis iudicandus, sed iudicium vestrum soli Deo reservatur; cuius iudicium & examen, quod sibi soli debetur, nobis non quarimus usurpare. Ad hæc, Pater sanctissime, quod nos putamur à quibusdam annulis nostris fuisse excommunicationi innodati ab antecessore vestro, nunquam verum esse scitote; & tantum præsumimus de mira honestate vestra & prudentia quod si super hoc testimonium vestrum invocaremus, vos huius rei diceretis nos esse innocentes, quod utique verè dicere poteritis. Et utinam apud Ecclesiam triumphantem ab omni vinculo secretæ excommunicationis nos sciremus esse solutos, sicut apud Ecclesiam militantem, cuius nos membrum esse confidimus, verè scimus nos nullo modo unquam manifestè fuisse ligatos. Super omnibus autem aliis quæ nobis obicere decreveritis, sicut devotus filius vester obedienter nos discretionis & ordinationi vestræ submittemus. Confidimus quoque in Domino quod manifestata vobis tota veritate, & cum plenè vobis constiterit quod multa fallà de nobis sæpissime vobis suggesta sunt, vos in intimis visceribus paternæ vestræ dilectionis nos colligendo, pio nos adhuc affectu diligere debeatis, & cum severitis obedientiam & devotionem nostram, quam nos vobis ut carissimo patri nostro spiritali cum omni humilitate procurabimus exhibere. Scimus quoque verissimè quod in omni nostra tribulatione nunquam adhuc vos vel sacratissimam Romanam Ecclesiam dictis vel factis offendimus, quod etiam, Deo dante, nunquam faciemus. Ceterum verbis latoris præsentium fidem firmam adhibere dignemini.

*AQUILEGENSI PATRIARCHÆ.*

*Epist. 137.*

\* Philippum

Vide epist. 136.

**D**ignas fraternitati tuæ gratiarum referimus actiones quod circa Principem illum quem nosti mandatum nostrum fideliter exequi studuisti, credentes quod, quantum in te fuit, nihil apud eum omisisti de contingentibus, quamvis ex iis quæ tibi mandata fuerunt aliqua videaris apud alios omisisse. Responsum autem ipsius gratam in multis habemus, tum quia sapit catholicam veritatem, tum quia piam devotionem ostendit. Veruntamen in factis Ecclesiæ Maguntinæ nec iustè nec honestè respondit; quia, sicut ex ipsius scripto perpenditur manifestè, sic vult dimittere Liupuldam intrusum ut & nos Siffridum Archiepiscopum faciamus omnino cessare, quod quam sit iniquum, frivolum, & absurdum, tua, sicut credimus, fraternitas non ignorat. Nos igitur postquam correctionem ipsius diutius expectavimus, eumque fecimus frequentius admoneri, super hoc auctore Domino procedemus sicut videbimus expedire. Illud autem habemus acceptum quod inter ipsum & adversarium suum treugas libenter, ut asserit, admisisset, si ad illum nostri potuissent nuntij pervenisse. Cumque nos ad pacem imperij aspiremus, suggerimus alteri parti ut treugas non solum recipiat, sed exposcat, & tu, venerabilis frater in Christo, sicut pacis amator, suggeras Principi memorato ut cum treugæ fuerint postulata, illas sine difficultate concedat; quatenus nos ex illis occasione & materia assumamus ad pacem imperij salubriter procurandam, quam utique toti orbi Christiano necessariam reputamus. Datum &c.

*ILLVSTRI REGI OTTONI.*

*Epist. 138.*

**N**overit regalis prudentia quod nos Patriarcham Aquilegensis ad Philippum Ducem Sueviæ destinavimus, ut moneret illum ex parte nostra ne Liupuldam quondam Vvarmaciensis Episcopum, Maguntinensem intrusum, damnatum & excommunicatum à nobis, foveret, sed ab ejus favore cessaret; alioqui post expectationem & commonitionem procederemus in ipsum sicut ratio postuleret. Eidem etiam Patriarchæ dedimus in mandatis ut induceret ipsum Ducem ad treugas tecum & cum Colonensibus componendas; quia, sicut venerabilis frater noster Cameracensis Episcopus nobis suggestit, ipsa treugæ, præsertim hoc tempore, necessariæ tibi forent. Philippus autem per litteras suas nobis in hæc verba respondit, quod licet nec honorificum nec expediens sibi esset, pro reverentia tamen nostra treugas hilariter admisisset, si ad te nostri potuissent nuntij pervenisse. Monemus igitur celsitudinem tuam & exhortamur in Domino quatenus si tibi & parti tuæ videris expedire, significes illi quod ad mandatum nostrum treugas recipere sis paratus, & si forsitan ipse consenserit, in eas treugas saltem unius anni cum ipso; ex quibus materiam assumentes nos, ad pacem imperij meliùs intendamus. Tu ergo de plenitudine gratiæ nostræ securus, prudenter & constanter agere non desistas, non acquiescens immisionibus quæ solent fieri per angelos malos. Datum &c.

*SALZEBVGENSI ARCHIEPISCOPO.*

*Epist. 139.*

**A**d universa capitula quæ per tuas nobis litteras expressisti cogimur respondere, ne possimus de inconstantia vel dicitia seu etiam injustitia reprehendi. Primum capitulum fuit, ut tuis verbis utamur, quod multorum didicisti relatu, immo Legatorum nostrorum tibi assertio patefecit, quod inter nos & Philippum medium constitimus Patriarcham Aquilegensis verborum pacis & concordie portitorem. Ad hoc tibi veraciter respondemus quod et si, quantum in nobis est, cum omnibus hominibus juxta verbum Apostoli pacem velimus habere, non tamen præfatam Patriarcham ad Philippum Ducem Sueviæ destinavimus ut inter nos & ipsum pacem tractaret, sed principaliter ut ipsum ex parte nostra moneret quatenus fovere desisteret Liupuldam Maguntinensem intrusum, damnatum & excommunicatum à nobis, & ab ejus favore cessaret; alioquin post expectationem diutinam & commonitionem præmissam procederemus in ipsum prout canonica censura deposcit; secundariò injungentes eidem ut præfatam Ducem induceret quatenus cum Rege Ottone treugas iniret, per quas meliùs intendere possimus ad pacem imperij, quam utique affectamus. Si quis ergo jactavit contrarium ut de duobus prædictis unum extolleret & alterum infirmaret, mentita est iniquitas sibi, nec dolosa fallacia prævalere poterit simplici veritati. Secundum capitulum fuit, quod non sinit ratio nec discretionis patitur ordo ut Domino arma ponente, servus pugnam non

